

**CAS. I.** **P**anus Præbyter, accepta Eleemosyna pro Sacrificio, in talis animæ Suffragium offerendo Sacrificium, obtulit quadam die, sed absque intentione satisfaciendi debito contracto per Eleemosynam. Q. an tenetur Sacrificium novum offere.

Respondeo cum distinctione. Si Paulus numquam habuit intentionem applicandi Sacrificium juxta illius mentem, qui Eleemosynam præbuit, claram est Paulum nequaquam debito à se contracto satisfecisse; quia nulla præexistente determinata intentione, habitualiter saltem durante, dici nequit, quod pro uno potius, quam altero Sacrificium offeratur. Si vero ab opposito accepit Eleemosyna pro Sacrificio in talis animæ Suffragium offerendo, habuit aliquando intentionem applicandi Sacrificium juxta mentem petentis dicendum est, quod etiam si ea die, qua Paulus obiulit Sacrificium, novam non haberet intentionem satisfaciendi debito contracto per Eleemosynam, taliter eidem debito satisficerit, ut ad nihil amplius teneatur. Ratio est, quia cum applicatio Sacrificii sit veluti ejusdem donatio, quæ à Deo acceptatur, etiam antequam fiat ipsiusmet Sacrificii actualis oblatio, necessitate non est, quod voluntas applicandi pro tali anima existat, quando fit Sacrificium, sed suffici præcise fuisse, & retractatam non esse. Et hæc est praxis, juxta quam pii etiam Sacerdotes non sunt solliciti de renovanda intentione ea die, qua offerunt Sacrificium, dummodo jam habitam non retractaverint. Dicendum proinde, neque Sacerdotem nostrum in hac hypothesi amplius teneri pro sui debiti satisfactione Sacrificium novum offere. Ita Girib. de Sacrif. Missæ c. 4. n. 3. Cacheran. tr. 9. c. 4. §. 2. n. 30. Lug. disp. 8. sect. 6. n. 93.

**CAS. II.** Ut diutius devote populum in Ecclesia retineat, solet ruralis quidam Parochus Natalis Nocte tres Missas successive celebrare. Q. an licite hoc faciat.

Respondeo negative. Quamvis enim olim non defuerint Theologi, & Canonistæ, qui, teste Diana pluribus in locis, & de Lugo de Euchar. disp. 20. sect. 1. num. 25. docuerint licitum esse post primam Natalis Noctis Missam successive inmediate duas alias celebrare; hoc tamen dici amplius non potest; cum per plura tum Sacrae Rituum Congregationis, tum Synodalium Constitutionum Decreta tales Missas successive celebrare vetitum sit: Cum enim plures Sacrae Rituum Congregationi propositum fuerit dubium: An liceret Sacerdotibus, Natalis Nocte celebrantibus tres Missas successive celebrare, eadem Congregatio semper respondit: Non licere, ut constat ex Decretis emanatis die 7. Decembris 1641. die 9. Agusti 1653. die 20. Aprilis 1664. die 15. Novembris 1678. Confirmatis postremo sub Clemente XI. die 18. Decembris 1702. Quibus Decretis innixa Synodus nostra Dioecesana, sub pœna suspensionis ipso facto incurrienda, prædictas tres Missas sucessive celebrare verat, ut cap. 5. de celebratione Missæ videtur est; & ex Pignatæ, tom. 7. consult. 25. Giribald. de Sacrif. Missæ c. 7. num. 14.

**CAS. III.** Berta, ad magis fovendum amorem in Puerum Jesum, in Missa noc-

nocturna Natalis Domini enixe petiit Sacra refici Communione; cui petitio-ni Parochus annuit. Q. an Parochus bene se gesserit.

Respondeo negative. Nam ex superadductis pro secundo hujus mensis Casu Decretis sive Sacrae Rituum Congregationis, sive Synodi nostræ Dioce-sanæ, æqualiter vetitum fuit, tres successive Missas Natalis Nocte cele-brare, ad Sacram Synaxim in Missa, quæ celebrari permittitur, deposcen-tibus exhibere. Cum autem prædicta Decreta vim legis habeant, & obedien-tiæ obligationem inducant, Parochum nostrum, qui Berta petitioni annuit, male se gessisse dicendum est. Ita cum supradictis, aliisque communiter.

ANNO MDCCXLII.

MENSE JANUARII.

**CAS. I.** **T**empore Jubilæi, quo concessa fuerit facultas commutandi vota, petiit Petrus à Confessario communionem juramen-ti ad Dei honorem facti de non amplius aleis ludendo. Q. an stan-te legitima permutandi causa, potuerit tale juramentum Confessarius per-mutare.

Respondeo affirmative. Ratio est, quia cum juramenta promissoria in ho-norem Dei emissâ nil aliud sint quam promissiones redendi Deo juratam rem, ita ex communi mente Doctorum induunt naturam voti, ut moraliter loquendo, vinculum juramenti prædicti à vinculo voti non differat, cum unum æque, ac aliud eamdem omnino obligationem inducat. Licet proinde si de alis juramentis sermo sit, quæ diversam à voto important obligationem, privilegium, quod communi juri adversatur, ne uno ad aliud nequeat exten-di, poterit in nostro casu privilegium commutandi vota extendi ad commu-nationem juramenti in honorem Dei emissi de non amplius aleis ludendo, cum juxta regulam juris, quod in uno æquiparatorum dispositum est, etiam in altero dispositum censeatur. Ita Anacl. de juram. n. 41. & de voto n. 52. Laym. L. 4. tr. 3. c. 11. Homob. tr. 7. q. 77.

**CAS. II.** Antonius occidendo Cajum ex defectu plenæ advertentiæ venia-lem tantummodo culpam commisit. Q. an teneatur sub gravi culpa resarcire damnum occisi Caji familiæ inde secutum.

Respondeo negative. Ratio est, quia, sicuti si in Caji occisione nulla prorsus intervenisset culpa ex eo, quod per motum primo primum, vel per ca-sum omnino fortuitum ipsiusmet Caji occisio accidisset, nullatenus ad re-parandum damnum occisi Caji familiæ secutum Antonius teneretur; ita, si ex defectu plenæ advertentiæ gravis culpa non intercessit, nulla debet ipsi Antonio obligatio gravis imponi, cum æque repugnet, quod habeatur ef-fectus absque tilla causa, ad quod effectus major sua causa admittatur. Et sicuti in foro externo gravi pœna puniri non solet illud delictum, quod in eo-

codem foro non probatur ex negligentia graviter culpabili, vel alia gravi legali culpa accidisse; ita in foro interno, seu conscientiae nemo ad gravis danni reparationem damnandus est; qui in eodem damno causando gravis theologicæ culpæ reus non fuit. Ita Less. L. 2. c. 7. n. 27. Lug. disp. 8. sect. 5. Girib. de restit. dub. 4. n. 26.

CAS. III. Rusticus Paterfamilias confitetur se diligere filios suos plus quam Deum: unde tamquam reus gravis culpæ increpatur à Confessario. Q. an sit justa Confessarii increpatio.

Respondeo cum distinctione. Vel Confessarius ex confessione agnoscit, Rusticum Patremfamilias filios suos plus, quam Deum diligere, amore appetitivo, ita ut proper nimium amorem, quem nutrit in filios, ita sinat ipsos male vivere, ut Deum ipsum offendere non vereatur, vel tantummodo agnoscit Patrem filios plus, quam Deum diligere amore pure intensivo, vi cuius, ex. cau. intimius doloris sensu afficiatur ex infortuniis filiorum, quam ex offensa ipsius Dei. Si dicatur primum: cum ex præcepto dilectionis Dei teneamus Deum super omnia appetitivo diligere, ita ut simus parati omnia potius amittere, quam ipsum Deum, Confessarii exprobatio justissima erit, juxta illud Math. 10. Qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus. Si vero dicantur secundum; injustam esse Confessarii objurgationem, dicendum est; cum præceptum dilectionis Dei nos ad Deum super omnia intensivo diligendum non cogat. Ita ex Palaio de Char. disp. 1. punt. 2. num. 5. Girib. c. 4. num. 13. & seq. Sanch. L. 2. c. 33. num. 2.

### MENSE FEBRUARII.

CAS. I. R<sup>u</sup>ralis Parochus recusat absolvere Rusticum à peccato gravis per-  
cussionis Clerici, Sanctæ Sedi reservato, licet sciat, eumdem  
Rusticum propter incommoda ætatis, & corporis, esse perpetuo impeditum.  
Q. an bene se gerat.

Respondeo affirmative. Cum enim ex Decreto Clementis Octavi, ita reser-  
vetur Pontifici gravis Clerici percussio, ut etiam quacumque necessitate,  
nisi sit necessitas articuli mortis, cuicunque inferiori Confessario adempia-  
sit absolvendi facultas; nullam dari in rurali Parocho facultatem ad absor-  
tionem Rustico nostro impendendam, compertum est. Neque refert, Rus-  
ticum nostrum esse perpetuo impedimentum; quamvis enim ut eximatur à le-  
ge adeundi Apostolicam Seden: non eximitur tamen à lege se præsentandi  
eo modo, quo potest, Episcopo, cum ab isto, in casu impedimenti prædic-  
ti, absorptionis beneficium valeat obtinere. Poterit igitur Parochus, si aliqua  
gravis urgeat necessitas, & facilis non pateat aditus ad Episcopum, Rusticum  
suum absolvere cum onere se præsentandi Episcopo, eo tempore, & mo-  
do, quo poterit. Ceterum si eumdem extra mortis articulum absolvere per  
se loquendo recusat, bene se gerere, dicendum est. Ita Bonac. de censur.  
disp. 2. q. 3. punto 6. n. 16. Girib. c. 2. n. 25. Suar. de pœnit. disp. 30.  
sect. 3. n. 12. Lug. disp. 20. sect. 10.

CAS. II. Titius dispensatus in Quadragesima ad comedendas carnes præ-

ci-

eise ex motivo, quod valde ei noceant cibi Quadragesimales, siis diebus, qui-  
bus comedit carnes, jejunium non servat. Q. an graviter peccet.

Respondeo affirmative. Ratio est, quia cùm abstinentia à carnibus non  
præcipiat ab Ecclesia tamquam res pertinens ad essentiam jejunii, sed præ-  
cise ut res magis ad carnis mortificationem conducens: sequitur ut qui die-  
bus esuriens Quadragesimæ dispensatus est ad comedendas carnes præci-  
se ex motivo, quod valde ei noceant cibi Quadragesimales, adhuc carnis suæ  
mortificationem, per comedionem unicam teneatur. Et sicut ex quo jeju-  
niū præceptum pluribus veluti partibus moralibus consistit, nempe unica co-  
mestione, abstinentia à carnibus, & nonnumquam etiam ab ovis, & lacticiniis,  
sequitur, ut posit quis aliquando ovis, & lacticiniis vesci, nec tamen  
plus quam semel comedere, aut carnibus uti; vel si nondum quis vigesimum  
primum annum excessit, possit pluries se cibo reficere, nec tamen carnibus  
vesci, ita infertur, ut semel edendi lege teneatur, qui carnes ex superad-  
ducto motivo jejunii tempore conceduntur. Cumque hæc doctrina ita sit  
confirmata per iterata Edicta, quæ Sanctissimus Dominus noster Benedic-  
tus XIV. die 30. Maji, & 2. Augusti 1741. promulgavit, ut nulla amplius  
oppositæ opinioni probabilitas remaneat; dicendum est, certo graviter pec-  
care Titium, qui diebus, quibus comedit carnes, jejunium in unica co-  
mestione non servat. Ita ex D. Thom. in 4. dist. 15. art. 4. Cajet. in 2. 2. q.  
147. art. 6. Lacroix L. 4. q. 140. n. 1269.

CAS. III. Cajus, cui onus incubit familie, vetulam, ac cæcam matrem  
actioribus verbis quotidie increpat, eo quod eadem velit se negotiis domes-  
ticis non sine aliquo eorum damno immiscere. Q. an peccet Cajus contra  
quartum præceptum Decalogi.

Respondeo cum distinctione. Si verba, quibus utitur Cajus ad increpan-  
dam quotidie matrem cæcam, & vetulam adeo aspera sint, ac dura, ut con-  
temptum præferant matris, & amori, ac reverentie matri debitæ adver-  
tentur, Cajum peccare, & quidem graviter contra quartum Decalogi præ-  
ceptum pro certo dicendum est; cum ex vi prædicti præcepti teneantur filii  
non solum corde diligere, sed etiam ore, & externis actibus parentibus  
amorem, & reverentiam exhibere. Si vero actioribus verbis utatur Cajus,  
non quidem ratione alicuius odii, quod habeat in matrem, vel ex aliquo re-  
verentie defectu in eadem, sed præcise, ut illa domesticis negotiis non se  
se immisceat, & de hoc modo detrimentum familie evitet, dico, Cajum con-  
tra quartum Decalogi præceptum non peccare; cum reverentiam Parenti-  
bus debitam adhuc integrum servet, nisi fortasse ex modo loquendi elata  
voce, vel alia circumstantia, excessus aliquis in prædicta increpatione con-  
tingat, quo casu dicere deberemus, Cajum non fore à levi saltem culpa im-  
munem. Ita ex Tam. L. 5. in decal. c. 2. §. 2. Tolet. L. 5. c. 1. Trullench.  
L. 4. c. 1. dub. 2. n. 2.

### MENSE MARTII.

CAS. I. P<sup>a</sup>ulus una hora post solis ortum comedit ex pane, & pisci-  
lis in quantitate septem unciarum, non advertens esse diem

je-

jejunii, de quo inde admonetur. Q. an teneatur tali die adhuc servare jejuniū.

Respondeo affirmative. Ratio est quia cum ex una parte non dicatur in casu, quod pluries de mane Paulus comederit, siveque unicam comedionem in qua natura jejuniū consistit, reddiderit impossibilem; & ex altera non sit contra jejuniū substantiam, quod comedionis ordo invertatur, dicendum est, Paulum posse adhuc, cum de jejuniū die admonetur, jejuniū servare, & proinde ad jejuniū tali die servandum teneri. Igitur, cum pro ea refectiuncula, quam Paulus licite sero fecisset, possit ea cibi quantitas inservire, quam Paulus non advertens esse diem jejuniū, sumpsit una hora post solis ortum; eamque comedionem, quam ficeret in prandio, opime possit in casu usque in cœnam differre, dicendum est, ita Paulum agere debere, & sic servare jejuniū. Ita cum Girib. de jejun. n. 75. Bossio cas. 18, n. 105. Filliuc. tr. 27, c. 2, n. 29.

CAS.II. Franciscus contractis sponsalibus cum Berta, copulam habet cum ipsa, inde justam invenit causam resilendi à sponsalibus, quæ quamvis datur etiam ante copulam, tamen ignorabatur. Q. an secuta copula possit ex dicta justa causa à sponsalibus resilire.

Respondeo affirmative. Ratio est, quia cum voluntas in incognitum non feratur, nemo censeretur per proprios actus illis juribus renuntiare, quæ actionis tempore se habere non agnoscebat. Et proinde quamvis Franciscus animum ostenderit permanendi in sponsalibus contractis cum Berta, per copulam habitam cum ipsa, adhuc tamen, cum ante prædictam copulam ignoraverit jus quod habebat recedendi à promissione, sequitur neque post copulam ainitere propium jus, siveque posse à contractis sponsalibus resilire. Eo nimis modo, quo uxor ignorans mariti adulterium, & proinde etiam jus, quod ipsa ad divortium acquisivit, non censeretur juri suo renuntiare per hoc, quod marito debitum redat, neque animus cohabitandi cum eodem marito, dum ejus adulterium ignoratur, aufert ab eadem Uxore jus ad petendum divortium, dum patrum adulterii delictum detegitur. Ita Lessius L. 2, c. 42, dub. 7, num. 34. Filliuc. tr. 10, c. 8, quæst. 11, num. 296.

CAS. III. Filius familias statuit nomen dare militiæ, propter quod petit à Patre pecuniam suo statuit convenientem. Q. an Pater teneatur in conscientia filii votis annuere.

Respondeo affirmative, per se loquendo. Ratio est, quia filii ex una parte in eligendo vitæ statu, sive status perpetuitatem importet, ut est status Religionis, Ordinis Sacri, & Matrimonii, sive status perpetuus non sit, dummodo ipsi filio, ejusque familia conveniens sit, liberi censeri debent. Cum autem ex altera parte teneatur Pater jure naturæ alimenta filiis præbere juxta propiam conditionem, ac qualitatem; non est, per se loquendo, cur filio, qui statuit nomen daret Militiæ nulli dedecus afferent, pecuniam proprio statui convenientem neget. Dixi, per se loquendo; nam si ex hoc, quod talis filius daret nomen Militiæ, aliquid grave damnum vel domesticæ gubernationi, vel ipsi Patri accideret, aliter esset loquendum; cum enim in his, quæ ad domesticam pertinuerint gubernationem, Filius Patri subditus sit,

sit, idemque Filius teneatur, vi naturalis pietatis, etiam à Religionis ingressu abstinere, ut Patri in extrema, vel gravi necessitate constituto subveniat, Patrem in circumstantiis non teneri in conscientia Filii votis annuere, dicendum est. Ita ex Thom. Sanchez in Decal. L. 4, cap. 35, num. 15, & seqq. aliisque communiter.

### MENSE APRILIS.

CAS.I. **P**AULUS uxoratus ignorans Catharinam esse conjugatam, adulterium cum ipsa committit, cum promissione Matrimonii in casu quo mulier, quam habet de præsenti, moriatur. Q. an mortua Paula Uxori & Catharinæ marito, possit Paulus ducere Catharinam.

Respondeo negative. Quemadmodum enim si Paulus uxoratus adulterium committeret cum Catharina nullatenus uxorata cum promissione eam ducenti in uxorem statim, ac liber evadat à primo conjugio, non potest etiam mortua propria uxore, ducere Catharinam; ita licet Paulus uxoratus adulterium commitat cum Catharina, quem ignorat esse uxoratum, cum promissione eam ducenti in uxorem, statim ac mulier, quam de præsenti habet, moriatur, etiam hac muliere mortua, una cum Catharinæ marito, nequit ducere Catharinam. Ratio pro utroque est, quia, cum ad contrahendum in casu criminis impedimentum non requiratur, quod uterque sciat se duplex adulterium patrare, sed sufficiat, quod unus agnoscens conjugium alterius, cum ipso adulterium committat cum promissione Matrimonii, si liber à tali conjugio evadat; dicendum est, sufficere, quod Catharina sive libera sit, sive conjugata non agnoscatur, sciat Paulum esse uxoratum; ut adulterium cum ipso patratum sit, & dicatur ex utraque parte formale, prout requiritur, ut una cum promissione Matrimonii impedimentum inducat. Ita ex Anach. de impedim. crim. num. 93. Giribal. cap. 14, num. 13. Roncag. cap. 17, num. 2.

CAS. II. Solus Titius conscius est impedimenti affinitatis orræ ex copula illicita inter Antonium, & Bertam. Q. an dum sunt publicationes pro Matrimonio teneatur hoc impedimentum Parochio revelare.

Respondeo affirmative, per se loquendo. Ratio est, quia quando agitur de vitando alterius gravi damno, & peccato, tenetur quis mali causam manifestare, etiamsi probare non possit, & præsentim ubi Superioris præceptum hoc postulat. Sumus autem in casu, nam in Matrimonio cum impedimento dirimenti celebrato, non solum gravis injuria irrogatur Sacramento, quod sic contractum, est nullum; sed etiam grave damnum, sive spirituale ipsis contrahentibus, qui sic scienter contrahendo peccant, sive temporale proli, quæ hoc modo nascitura est illegitima, irrogatur. Quamvis propterea solus Titius conscius sit impedimenti affinitatis orræ ex copula illicita inter Antonium, & Bertam, dum sunt publicationes, tenetur per se loquendo, prædictum impedimentum Parochio revelare. Dixi per se loquendo, nam si vel speraret profuturam esse privatam admonitionem, ut contrahentes opportunam peterent dispensationem, vel sibi grave damnum imminere timeret ex illa occulti criminis denuntiatione, in hoc casu ex communi sententia ad prædictam denuntiationem non teneretur, quia vel necessaris non foret,

T

vel

vel lex illam in casu non obligaret. Ita ex Girib. de denunt. n. 45. & 48.  
Boss. c. 7. n. 173. & 159. Palao punc. 13. §. 6. n. 5.

CAS. III. Petronius, vir alioquin bonus, filium habens ludo, & ebrietas  
bus deditum, veritus uxoris indignationem, ipsiusque filii audaciam, om-  
nia dissimulat. Q. an possit in casu ab omni culpa excusari.

Respondeo negative. Ratio est, quia si cæteri, quibus paterna non incum-  
bit sollicitudo, curam tenentur habere suorum domesticorum, (qui enim suo-  
rum maxime domesticorum curam non habet, teste Apost. 1. ad Cor. 5.  
est infidelis, & infideli deterior) multo magis Pater curam filiorum ha-  
bere debet, cum ad filios recte educandos naturalis pietatis lege, ac pecu-  
liari quodam vinculo adstringatur. Cum proinde omni studio teneatur Pa-  
ter filios à peccatis maxime gravibus avertire, atque in hunc finem objur-  
gationes, ac punitiones opportune adhibere; nisi agnoverit Petronius, ipso  
etiam objurgante, nullam fore in filio emendationis spem, immo magis et  
impudenti uxoris iracundia, ipsiusque filii audacia delicta augeri; clare in-  
feritur, eumdem Petronum, qui delicta filii ludo, & ebrietatis dediti om-  
ni penitus omissa objurgatione dissimular, non posse ab omni culpa excusari. Ita Sot. L. 5. q. 2. art. 1. Navar. cap. 28. num. 18. Azor. part. 2. L. 2.  
cap. 4. quæst. 17. & 18.

### M E N S E M A I I.

CAS. I. Sciens Parochus, Antonium suum Parochianum sepulturam ele-  
gisse extra Ecclesiam Parochiale, illum mortui proximum ad  
revocandam electionem factam coegit, & de facto revocavit. Q. an dictus  
Parochus in aliam Censuram inciderit.

Respondeo negative. Ratio est, quia Excommunicationis pena per Cle-  
mentis Quinti Constitutionem inficta contra eos, qui ad electionem sepul-  
turae, vel ad mutationem electæ aliquem inducunt, ad eos tantummodo ca-  
sus se extendit, quibus aliqui ad votendum, jurandum, vel fide interposi-  
ta, seu alias promittendum inducuntur, ut ex verbis ipsius Constitutionis,  
quæ incipit Cupientes, de poenis, videre est. Cum autem in nostro casu nulla  
fiat mentio de voto, juramento, vel alio simili vinculo promissionis, perspi-  
ciuum est, laudataam Constitutionem nequaquam ad casum nostrum extendi.  
Deinde cum prædicta Constitutio in Parochorum favorem edita sit, & juxta  
regulas juris, quod in favorem alicujus inductum est, in ipsius damnum re-  
torqueri non debeat; ex hoc etiam capite, Parochum nostrum nequaquam  
in censuram incidisse, dicendum est. Ita cum communi apud Sayrum L.  
4. cap. 12. n. 8. Suar. disp. 22. sect. 4. num. 25. Filiuc. tr. 15. c. 7. q. 3. Bonac.  
de excommun. extrav. Bull. Cœnæ disp. 2. q. 6. quæst. 4. n. 2. & 3.

CAS. II. Rusticus quidam confitetur, se inopia pressum dixisse nullam  
Dei inesse suæ familie providentiam, quo vix audiro, Confessarius Peñi-  
tentem inabsolutum ad Peñitentiarios mittit. Q. an Confessarius bene se  
gerat.

Respondeo negative. Ratio est, quia cum agatur de persona Rustica, quæ  
regulariter loquendo, ea non distinguit, quæ sunt distinguenda, antequam

Con-

Confessarius poenitentem ad Peñitentiarios inabsolutum mittat, inquirere  
debet primo, an poenitens paupertatis rædio affectus, ita ex puro impati-  
tiæ imperio protulerit blasphema verba, aut ad improbum ipsorum sensum  
non plene adverterit; nam in tali casu, sicuti à gravi culpa, ita etiam à  
reservatione excusaretur. Secundo, dato quod Peñitens prædicta verba  
proferendo, lethalem culpam contraxerit, debet Confessarius inquirere, an  
etiam corde crediderit, Deum revera familiæ suæ providentiam non habe-  
re; si enim hoc Rusticus credidisset, eum esse formalis hæresis reus, ad  
Peñitentiarios inutiliter mitteretur, qui ab hæresis crimine absolvere ne-  
queunt. Tertio denique, si Peñitens vere incidisset in casum blasphemæ hæ-  
reticæ, & non hæresis, Confessarius debet examinare, an detur locus abso-  
lutionis indirectæ, dum interim facultas pro impetranda absolutione directa  
obtineatur. Cum itaque nihil ex his egerit Confessarius noster, non nisi ma-  
le se gessisse remanet concludendum.

CAS. III. Cum Berta fuerit sæpe à marito verberibus correpta, ut pote  
valde loquax, & querula, fugiens quadam die, se recepit in paternam do-  
mum, à qua recusat ad maritum reverti. Q. an Confessarius possit Bertam  
absolvere, si renuat ad maritum redire.

Respondeo cum distinctione. Si maritus graviter, & cum excessu Bertam  
uxorem verberibus sæpe corripiat, dico, iamdem Bertam, ut pote quæ ra-  
tione simplicis loquacitatis non præbeat ipsi marito rationabilem causam eam  
graviter verberibus corripiendi, jus habere recedendi à marito; & proinde,  
etsi ad maritum redire nolit, non posse ex hoc capite absolutionis beneficio  
privari. Si vero maritus leviter tantum Bertam verberet, prout habita ra-  
tione personæ, conditionis, & status, id judicat pro ejusdem uxoris emen-  
datione opportunum, dico, Bertam, jus non habere recedendi à marito,  
cum Maritus iure suo possit uxorem ratione nimis loquacitatis etiam mo-  
deratis verberibus castigare. Sieque quamdiu Berta in hoc casu ad mari-  
tum redire recuset, præsertim si maritus de tali reditu sollicitus sit, indis-  
posita erit, ut eidem absolutionis beneficium conferatur. Ita Girib. in 4.  
Decal. præcept. c. 2. n. 1. Bonac. punc. 7. n. 1. & 2. Filiuc. tract. 28.  
part. 2. 9. q. 3. n. 14.

### M E N S E J U N I I.

CAS. I. Famulus quidam quinquaginta successivis furtulis domino suo  
nec diviti, nec pauperi furatus est viginti quatuor julios sine  
prævia intentione pervenienti ad talē summam, & sine advertentia ad  
priora furtula, dum singulis vicibus furatus est. Q. an teneatur sub gravi  
prædictos julios restituere.

Respondeo affirmative. Quamvis enim ex quo famulus paullatim furatus  
sit summam viginti quatuor juliorum sine prævia intentione pervenienti ad  
talē summam, & sic advertentia ad furtula antecedenter commissa, rite  
colligatur, ipsum numquam in prædictis furtulis graviter peccavisse; adhuc  
tamen, cum obligatio gravis restituendi non solum ex gravi injusta accep-  
tione, sed ex notabili etiam rei acceptæ quantitate consurgat, dicendum

T 2

est,

est, famulum sub gravi ad restitutionem teneri. Et quemadmodum plures leves obligationes ortae ex pluribus levis rei emptionibus successivis gravem unam constituant obligationem solvendi rem emptam, si haec ad quantitatem gravem pervenerit, ita plures leves obligationes ortae ex pluribus rei levis furtulis successivis taliter possunt moraliter continuari, ut ratione notabilis rei alienae simul sumptae gravem restituendi obligationem inducant, quod ex proscripta per Innoc. XI. propositione 38. satis manifeste apparet. Ita communiter ex Navar. in man. c. 17. num. 139. Sanch. L. 7. Mor. c. 21. num. 2. & 9. Girib. de furio dub. 3. num. 19. & 20.

CAS. II. Antonius nonnullas arbusculas agro alieno recidit valoris tunc scutorum decem, valuturas jam triginta, ut spes erat, post annos decem. Q. quid solvere debeat domino agri.

Respondeo, solvere debere iuxta prudentis viri judicium. Ratio est, quia ex una parte, cum restitutio commensuranda tantummodo non sit valori praesentis rei, in qua damnum proximo illatum est, sed existimationi damni provenientis ex ipsa ablata, vel destructa aliena re, sequitur, quod licet arbusculæ in agro alieno recidæ non excedant de praesenti valorem scutorum decem; adhuc tamen, cum vigeat spes, ut post nonnullos annos scutorum triginta valorem habituræ sint, non satisfaciat Antonius propriæ obligationi erga dominum agri, si præcise summam scutorum decem restituat. Ex altera autem parte, cum spes scutorum triginta de futuro totidem scutorum valorem de praesenti non habeat, sed tanto minus valeat, quanto majoribus infortuniis ipsæ arbusculæ in ioro decenii lapsu obnoxiae sunt; hinc est, quod consideratis omnibus circumstantiis, non nisi juxta prudentis experti viri judicium summa illa, major scutorum decem, & minor scutorum triginta, taxari potest, quam Antonius domino agri solvere debet ad reparandum damnum, quod per arbuscularum incisionem illatum est. Ita ex Navar. l. 4. c. 1. n. 52. Azor. 3. part. l. 4. c. 25. Bonac. de rest. disp. 1. q. 3. punct. 1. n. 8.

CAS. III. Vir dives, & nobilis vult mensas lusorias in suo rurali Palatio tenere diu noctuque paratas ad nobilium virotum, ac fœminarum honestam recreationem, etiamsi sciat aliquos inde occasionem aripere ad fovendos turpes amores. Q. an possit à gravi culpa excusari.

Respondeo negative. Quamvis enim aliis ministrare rem omnino indifferente, ut esset pro viro divite, ac nobili parare mensas pro ludo modo moderato, & brevi cum delectu temporis, & personarum, possit ab omni culpa vacare, tamen cum tenere mensas lusorias diu, noctuque paratas, viris simul ac fœminis, licet nobilibus, præserrim quando quis certo scit, aliquos inde occasionem aripere ad fovendos turpes amores, quod ex plurimisque contingentibus prævidere difficile haud est, non sit amplius res indifferens, bene vero res mala, media qua, aliis præbetur occasio peccandi; dicendum est, virum nobilem, utpote qui in casu aliorum peccato absque illa necessitate cooperatur, esse nequaquam posse à gravi culpa immunem. Ita Suar. de Charit. disp. ro. sect. 4. Coninchi. disp. 18. n. 217. alioque.

ME NSE JUL II.  
CAS. I. Risticus non habens, nec inveniens panem, quo vivat, accepit à Domino suo mutuos decem julios cum obligatione eos restituendi tempore messis. Q. an adveniente messis tempore, teneatur accepitos julios domino reddere.

Respondeo affirmative. Ratio est in primis, quia licet prædictus Rusticus esset in casu extreme pauper in re, talis tamen non erat in spe, & proinde sicuti non potuisset clam, vel manifeste surripere à domino decem julios, nisi cum onere restituendi tempore debito; ita non potuit subvenire propriæ necessitati mutuos accipiendo à domino eosdem decem julios, nisi sub eodem onere restitutio. Secundo; quia etiamsi in extrema necessitate omnia dicantur communia, valde tamen probabile est, quod ad subveniendum ipsius Rustici necessitati non teneatur dominus donare, sed licet possit mutuos dare decem illos julios, quibus ipse Rusticus indigebat. Hoc autem posito, sicut jure potuit à domino contractus mutuo iniri, & Rusticus de facto ex pecunia vi contractus mutui acquisita necessitatí propriæ subvenit; ita non est cur vi ejusdem contractus, adveniente messis tempore, pecuniam mutuo acceptam restituere non teneatur. Ita ex Bonac. de rest. in gen. quæst. ult. punct. l. num. 35. Navar. l. 4. c. 4. num. 21. & alii apud eosdem.

CAS. II. Confessarius cum ignorantia vincibili excommunicationis in eum latet, qui extra moris articulum complicem in peccato urpi absolvit, talem absolutionem elargitus est. Q. an prædictam excommunicationis penam incurrat.

Respondeo cum distinctione. Si Confessarii ignorantia ita vincibilis est, ut sit aperte volita, & affectata, dico, Confessarium nequaquam posse ab excommunicationis penam excusari. Tum quia nolle scire censuram, est species quædam contemptus in Superiore, & proinde, ne commodum ex delicto recipiatur, non debet gratiam immunitatis ab ipsa censuræ pena importare. Tum quia ignorantia affectata reddit actum ex ipsa provenientem directe, & per se voluntarium, & proinde ita scientia æquiparatur, ut à censuris scientiam, & temeritatem exigentibus non excusat. Si vero Confessarii ignorantia, licet graviter culpabilis, expresse volita, & affectata non sit, censeo, eumdem esse à dicta censura immunem. Ratio est, quia ad incurrendam excommunicationis penam pro casu nostro impositam audacia requiritur, & temeritas, ut ex terminis Bullæ Benedicti XIV. feliciter regnantis sub die 17. Junii anno 1741. videre est. Cum autem non dicatur operari ex audacia, & atius temerario, qui ex ignorantia quantumvis vincibili operatur, nisi haec sit expresse volita, & affectata, quæ scientia æquiparatur, dicendum est, Confessarium esse in hoc casu ab excommunicationis penam immunem. Ita ex Suar. disp. 4. sect. 10. n. 2. Palao tom. 1. tr. 2. disp. 1. punct. 13. n. 1. Leand. disp. 9. q. 21.

CAS. III. Sejus cogit passim rurales famulos diebus festis viridaria, rigare, & Soli exponere frumenta, & alia grana. Q. an ad prædicta opera famulos cogendo, peccet.

Res-